590.c
5

RERUM OMNIUM

Æ INTER MAJESTATEM SUAM

AGNÆ BRITANNIÆ

ET

ANIÆ REGEM

TRANSACTÆ SUNT,

serie deducta narratio : unà cum Belli indictione adversus dictum Regem;

Simul & rationes aliquot quibus Majestas sua ad id impulsa est.

Dictæ Sacræ Regiæ Majestatis Magnæ Britanniæ jussu edita.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

MOdus ille & candor, quos erga hoſtes exteros omni de causâ Majeſtas ſua Britannica ſemper adhibuit, abundè terrarum Orbi teſtatum fecêre, quod quibuſcumque demùm laceſſeretur injuriis, non aliter tamen illas à ſe animadvertendas cenſuerit, quàm ut ſeſe adverſus ea quæ ex iis naſcitura erant mala, vigilantiùs præmuniret; & ſanè, quanquam Daniæ Rex poſt tàm iniquas rerum vices, fidemque cum Majeſtate ſuâ Britannicâ turpiter violatam, rebus ſuis neceſſarium duxerit, probra multa ſanè ea & gravia, in Majeſtatem ſuam indignè jactare; nec affirmare dubitaverit, fœ[illegible] ſivè quàm Deffenſivi cum fœderatis Belgii Provinciis feriendi rationem non aliâ radice aut fundamento niti, quàm nupero illo Navium Anglicarum in Portum Bergenſem immiſſarum impetu, inſertis utique primo dicti fœderis articulo diſertis hiſce verbis. *Cum pro comperto ſit naves quaſdam Anglicanas eaſque bellicas, anno jam proximè elapſo, ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo quinto, in fluminibus juxta ac ipſis Portibus dictæ ſuæ Majeſtatis Danicæ, contra jus faſque varia patrâſſe, & more planè hoſtili, tum in Arces ejus, tum in Caſtella impetum feciſſe. Cautum ergo ſit, nec cuipeam ex navibus Anglicanis bellicis licitum ſit, in Portibus ejus aut flumi-*

nibus, in Cattegat, freto Oreſundico aut Mari Balthico vela facere impoſterum.

Majeſtas ſua Britannica nihilominùs, nempe quia honori Regis illius conſultum vellet, factum illud, quod calumniæ iſti materiam dederat, mundum lubens celaſſet, niſi forte periculum fuiſſet ne Majeſtas ſua Britannica, Claſſe in Portum fœderati Regis ſic immiſsâ, ut omnia hoſtilia intentaret navibus alterius gentis (utcumque contra ſe gerentis bellum) cum dicto fœderato colentis pacem videri poſſet adeo jus Gentium violaſſe: cùm tamen reverà Majeſtati ſuæ Britannicæ, jam tum nihil tale cogitanti, facta eſſet illius Portûs libera poteſtas ad ea omnia hoſtiliter agenda, quæ tamen hodiè ipſi exprobrantur.

Quo affectu quantoque ſtudio Majeſtas ſua Britannica Regem Daniæ proſecuta fuerit, non modo communi Reformatæ Religionis nomine, ſed propiore adhuc, tum ſanguinis ratione, tum amicitiæ in Perſonam ejus, ſtatim ſub ſuo in Angliam reditu, rebus Danicis jam tum etiam turbatis & afflictis, indicio eſſe poterit fœdus illud cum Coronâ illâ tunc temporis pactum & præ reliquis omnibus primum: Quo quidem in fœdere, perpenſis illis, quas à fœderatis Belgii Ordinibus Rex ille ſibi nuper illatas querebatur, & inferendas adhuc graviùs ſuſpicabatur, injuriis, Majeſtas ſua Britannica publicè profeſ-

feſſa eſt, conjunctis in unum viribus, ſe Daniæ Regi, quocunque demùm hoſte, belli ſociam futuram.

Ab eo uſque tempore, novæ indies dicti Regis querelæ creſcere, à ſupra memoratis Ordinibus periniq́ue ſecum ac inſolenter actum, ex armis Suecicis horrenda animo provideri, orariq́ue Majeſtatem ſuam Britannicam ut opportunâ interceſſione apud Coronam Suecicam priſtinum utrimque fœdus arctiori vinculo firmatum redderet; id quod Majeſtas ſua ſine morâ in ſe ſuſcepit, & Coronam Suecicam in vota ſua tam fœliciter conſpirantem illicò ſenſit, ut haberet unde Danis ſcrupulum omnem eximeret, colorent modò fœdus non ita pridem à ſeipſis cum Suecis initum, non eſſe ſibi quicquam ab iis metuendum. Gratum ſuper his animum teſtatus Daniæ Rex, atque ſe id ſeriò ſecum ſtatuere profeſſus, renovato iterum voto Majeſtatem ſuam Britannicam oravit inſuper, ut, datâ Regia ſuâ apud Sueciam fide, dictum illum Pacis tractatum Danos ad amuſſim inviolatum habituros ſponderet; quin & hoc etiam Majeſtas ſua Britannica in ſe quàm lubentiſſimè ſuſcepit.

Hæc erat illa rerum facies, cum bellum ſtatim moverent Hollandi, & ſingula illa facinora, univerſis nimis manifeſta, more hoſtili committerent. Sub hoc tempore Majeſtati ſuæ Britannicæ opportu-

num visum est, officiis denuò quibus potuit honnestis, intercedere, ad enatas hinc inde supradictas suspiciones amoliendas, mutuamque inter Coronas illas Boreales, meliùs fovendam necessitudinem; ne, in illo temporis articulo, malè vigiles, & notæ nimis Belgarum artes Coronas illas mutuis detrimentis inter sese possint committere, quibus adeò divisis ac diminutis, ipsis in utramque accresceret Imperium

Hunc in finem Majestas sua uno eodemque tempore Viros duos spectatæ apud se fidei, rebusque suis gerendis propiùs admotos, ad Coronam utramque ablegavit, quorum erat ea præstare officia, quibus indè illarum animi utrimque inter sese reconciliari, hinc sibimet ipsi utriusque conciliari posset amicitia. Et sanè, quod ad Daniam, nihil ferme aliud Majestas sua Britannica sibi inde pollicita est; utpote cui benè persuasum erat eò Angustiarum Danos, partim belli calamitate, privatis partim odiis adductos, ut nec tutum nec fidum videri posset consilium vocandi illos, rebus sic stantibus in societatem Belli contra Hollandos, nec etiam quicquam sui causâ ab iis exspectandum, nisi ad quod aliàs præstandum Majestas etiam sua Britannica virtute fœderis sui teneretur; præsertim, nondum obfirmatâ eâ inter Coronas illas Boreales fide, quâ, sibi invicem confisæ, mutuis armis & auxiliis tutæ possent acquiescere.

Ve-

Verùm paucos admodùm menſes moratus erat jam in Daniâ Majeſtatis ſuæ Britannicæ Ablegatus, cum videre eſſet Regem illum unà cùm Concilio ſuo metuere jam ſibi ab irâ Belgarum minùs ſanè quàm Majeſtas ſua Britannica (ita erat illa pro iis ſollicita) cogitarat; adeoque Rex ille, etiamnum iiſdem pro Bello contra Hollandos junctis in unum viribus excitando argumentis uſus, quæ Comes Hanibal à Seheſtedt contra Belgarum faſtum Majeſtati ſuæ Britannicæ cum in Angliâ eſſet non ita pridem præſens ſubminiſtraverat, Majeſtatem ſuam novis precibus ſollicitare non deſtitit, ab impotentiſſimâ gente illâ velit in præſens Danos protegere, cumque de tractatu Pacis inter Majeſtatem ſuam Britannicam populumque illum redintegrando agitari contingeret, multiplici eo, quo laborabant onere miſeros abſolveret: interim tamen, ut Tractatum illum, quem cum Majeſtate ſuâ ipſi inierant, de novo iterum inſtitui velit, obligationibus iis ac conditionibus ulteriùs muniendum, quæ fœderis, de præſenti, cum Majeſtate ſuâ contra dictos Ordines, tam Offenſivi quàm Defenſivi, tantùm non modos omnes implerent: quarum etiam, Menſe Novembris, Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo quarto, rudimenta (prout in deſignatione erant) ab Aulâ Danicâ in Angliam, Majeſtatis ſuæ Britannicæ Ablegatus per expediti itineris nuntium tranſmittenda curavit. Cæte-

Cæterùm quùm reverteretur ille in Daniam nuntius, Majeſtatis ſuæ Britannicæ his quæ ab ipſis propoſita erant conſenſum referens & approbationem, nihilo tamen ocyùs ab iis ad ſingula accommodatè abſolvenda feſtinatum eſt, verùm ſubitos Suecorum incurſus præſentire animis viſi, à Majeſtate ſuâ Britannicâ ulteriorem operam efflagitant, ad amovendum illud quod immineret ipſis periculum, & fiduciam mutuam & benevolentiam inter Coronas illas firmiùs ſtabiliendam, quam & Majeſtas ſua Britannica Suecorum ad id promptitudine animata ultrò pollicetur; eâque de causâ æquum jam videbatur, Daniam, ad amicitiam cum Suecis, abſque ulteriori omni procraſtinatione, firmandam, inſtantiùs urgeri; quo quidem peracto, quicquid conſiliorum reliquum erat, utriſque deliberantibus ac conſentientibus, tranſigi poſſe. Atque quod Majeſtati ſuæ Britannicæ hâc in re fiduciam addidit, erat tum Regis honor, tum conſtans ea, quam de illius integritate conceperat, opinio; neſcire enim non potuit, ad Belgarum nutum Concilium ejus magnâ ex parte iri compoſitum. Menſe circiter Junio proximè ſequente Rex ille (ubi forte cum Majeſtatis ſuæ Britannicæ Ablegato in colloquium inciderat) ſtatum illum flebilem, in quem eum ſolæ Ordinum Generalium fraudes conjecerant, deplorabat ſerio; ſolos

Bel-

Belgas tantorum malorum authores, in quorum etiam poſſeſſionem, nomine grandis ſummæ apud eos, ut aiebant, contractæ, proventuum ſuorum bonam partem ceſſiſſe querebatur, quâ de re, avidè captatâ occaſione, fuſiùs ſubinde diſſerebat. Subjecit Majeſtatis ſuæ Britannicæ Ablegatus, non defuturas occaſiones, quibus non ſolùm ære ſe alieno liberare poſſet, verùm quibus etiam de pecuniis ſibi ante hac extorſis jus ſibi dicat, & juſtâ repetitione ſe in integrum reſtituat. Quo ſermone, in longum à Rege illo non ſine ardore quodam, producto, ſtatuit tandem ille apud ſe, ſi modo vires ſibi non deeſſent, ſe id effecturum navium omnium occupatione & detentione, quæ quoquo modo Hollandorum [illegible] ſcriptæ, aut in Portubus ſuis inpræſentiarum morarentur, aut impoſterùm illic intrarent; cumque adderet Majeſtatis ſuæ Britannicæ Ablegatus, inceptum illud, ſummiſsâ Regis Domini ſui claſſe, probè poſſe promoveri, eâ lege perplacere ſibi id Rex ultrò reſpondit, præda ſi modo inter Majeſtatem ſuam Britannicam & ſe divideretur æqualiter, exorato inſuper Ablegato ut hæc Majeſtati Britannicæ ſuæ proponi curaret, cum tamen Majeſtas ſua de Daniæ [illegible] ge ad ejuſmodi factum tunc temporis ſollicitando, niſi ſic ab ipſo invitata, ne cogitaſſet quidem.

Ex Majeſtatis ſuæ Britannicæ Ablegati Literis pro-

positi hujus tenore ritè cognito, consensum facilem Majestas sua Britannica non præbuit modo, sed quâ licebat celeritate illuc remittendum curavit.

Die Julii decimâ Majestatis suæ Britannicæ Ablegatus Regem illum certiorem facit, institutum illud Majestati suæ pergratum esse, idque exequendum navibus ubique suis Majestatem suam in mandatis subitò daturam. Quod cum Rex ille lætus audierat, quò majore utriusque commodo pactum illud servari possit, Norvegiæ Præfectos passim omnes se dudum monitos habuisse dixit, ut naves omnes Belgicas, quâ possent arte, tam in Portus suos alliciant, quam quæ in Portu jam hærent, quibus possint modis, detineant; se illis tum facti hujus rationem, tum quid ultra faciendum, brevi per nuntium ad id destinatum indicaturum.

Dicti Mensis Julii die vigesimâ, audito Ruyterum præter oram Norvegiæ navigare, Rex ille accersito Majestatis suæ Britannicæ Ablegato, quæ inaudierat lætus aperit, hortatus insuper ne in ejusmodi nuntio ad Majestatis suæ Britannicæ classem perferendo tempus traheret, quod navigii beneficio subitò effectum est.

Dicti Mensis die vigesimâ secundâ, ad Proregem, Christianæ, & Generalem Alfeldt, Bergis, Agentem, Daniæ Rex per expeditum nuntium mandata transmisit: Sinerent nimirum Anglos impetu facto

in

in quaſvis Hollandorum naves, licèt in ipſis Portibus, ſub ipſis Caſtellis, eaſdem tanquam prædam abducere; prædæ nihilominùs ſummam ad juſtos calculos revocarent, eò quòd ſibi pars altera obtingeret; porrò navium Anglicarum Præfectis quam primùm notum facerent, ſi quæ Hollandicæ littus forte illud propiùs attingerent.

His obſecutus emiſit ſtatim Gildenteu Norvegiæ Prorex navigia duo, quæ claſſi Anglicanæ, quacumque maris parte repertæ, pactum inter Reges initum ſignificarent; id unum tamen pro ſe poſtulabant, ſibi ſcilicet ut liceret (ad dignitatem Regis Domini ſui publicè tuendam) ſeſe Anglorum inſultu illo, quandocumque faciendo, graviter offenſos vindicare.

Hunc in modum re inſtitutâ, Claſſiſque Majeſtatis ſuæ Britannicæ Præfectis aliquot ſatis cognitâ, die dicti Menſis trigeſimâ Sandvici Comes ſelectiorem navium numerum ad Portum Bergenſem, dicto pacto intentus, amandat, ut qui Claſſem Hollandicam ab Orientali Indiâ reverſam illic nuper appulſam probè intellexerat, credebatque (ut par erat) dicti foederis notitiam ad loci illius Præfectos omnes, antè navium illarum adventum, iri perlatam, quippè quòd ſuam illis approbationem & exequendi propoſitum Majeſtas ſua Britannica, Junii die trigeſimâ,

per nuntium indicaſſet, quod & Rex Daniæ decimo die Julii maturè accepiſſet.

Die ſupra trigeſimam primâ ex dictarum navium numero quindecim ad Buckap Radelatæ, nocte illâ fixis Anchoris, in eodem loco jacuêre, qui quidem utcumque intra Norvegiæ ſcopulos, à Bergis leucas octo removetur ad minimum.

Primo mane, Kalendis Auguſti, Thomas Tyddemannus Eques dictæ illi claſſis parti præpoſitus, virum quendam prænobilem ad Arcis Præfectum navigio ſubmittit, qui ſignificaret ipſi (ne quid ei incauto obveniret) adveniſſe Anglos, Litteraſque ſimul ſecum duas, à Sandvici Comite alteram, alteram à dicto Tyddemanno, ad dictum Arcis Præfectum perferret, utramque in eundem hunc ſenſum conſcriptam, ſe, quàm Hollandos infeſtare, nihil prorſus aliud deſignare, tum diligenter cautum proviſumque habituros, nequid damni injuriæve, ad Daniæ Regis ſubditos quoſcumque, poſſit exindè provenire.

Dictarum Auguſti Kalendarum horâ veſpertinâ, ſextâ dubium an ſeptimâ, dictæ naves in Portum penetrârunt, cumque jam navibus Hollandicis propiorem & commodam ſibi ſtationem quærerent, monuit ab incepto deſiſtere ab arce ingruens ſubita globorum tempeſtas, minoreque globo, cuidam inter

An-

Anglos, exponendis per ſcaphas anchoris intentiores, crus perfractum eſt; quod Angli quidem, hoſtile contra nil meditati, ſuſtinuêre immoti, cum tamen Belgis per integrum illud temporis ſpatium ſine omni impedimento permiſſum eſſet, ut naves omnes, ad bellum inſtructiores, in lineam cogerent, atque eum in modum ſe diſponerent, quàm maximè poterant opportunum, tum ad propulſandam à ſe Anglorum vim, tum ad eam iis viciſſim inferendam; expoſitis etiam in littore tormentis, quorum ipsâ in arce plus ſeptuaginta, ad Anglos acriùs infeſtandos fixa ſunt.

Angli nihilominùs, modo omni quo licuit commodiore ſe formare, quo in opere totam noctem ad quartam matutinam diei ſequentis conſumpſerant, coacti ſcilicet obluctante vento naves ſuas omnes ægrè ſequaces funibus attrahere.

Verùm per totum illud temporis intervallum, ſperantes adhuc meliora, etiam cum Generali Domino Alfeldt tractatum inſtituunt, de Pacto inter Reges clàm inito illum ſubmonentes, quod tamen ut tunc temporis ſibi notum diceret, adduci nullo modo potuit, in eo totus, Daniæ Regi Domino ſuo præda ut cederet in integrum, quippe quòd naviculas duas non alio fine Septentrionem verſus emiſerat, quàm ut naves illas Hollandicas, ſecuritatis prætextu, in Por-

tum illum callidè pertraherent; deſignâſſe inſuper Dominum ſuum Bellicas viginti duas, quæ naves illas ſuis uſibus cuſtodirent; tum etiam rem omnium admiratione dignam fore, Reges uſque adeo Amicos & Fœderatos de exiguæ prædæ parte dimidiâ digladiari, præſertim cùm Rerum Danicarum tenuitas illud jam poſcere quodammodo videretur; cum etiam veriſimile eſſet, Dominum ſuum, quæ ex eâ conflaretur ſummam adverſus communem utriuſque hoſtem velle impendere; Præterea, Hollandis æquè damnoſum fore Daniæ Regi totalis ſumma, an Majeſtati ſuæ Britannicæ pars altera cederet.

Utcunque tandem Dominus Alfeldt, cùm eâ de re Anglos adhuc inſtare cerneret, rogare cepit, [illegible] poſitiones aliquot de prædâ juſtè dividendâ ſcriptò [illegible] hiberent; quales etiam exhibebantur; utcumque etiamnum cupere videretur ille, vim contra Hollandos omnem in dies adhuc aliquot differendam; id quod in Senatu bellico, præſentibus Capitaneis navium omnibus, alium in finem non eſſe videbatur, quàm (id quod res erat, ſic conſtabat poſteà) ut ex eo Hollandi protracti temporis caperent beneficium. Quamobrem ſine morâ aggrediendum ſibi, decernunt; quod Auguſti die ſecundâ, horâ quintâ matutinâ pariter ſuſceptum eſt, poſtquàm conſensûs jam omnis ex parte Generalis præbendi ſpes omnis ſublata eſt;

eſt; præterea etiam, cum ex ulteriore morâ, non tantùm Hollandis vires novæ indies acceſſuræ eſſent, verumetiam periculum foret, ne Bellica eorum Claſſis in ipſos illic hærentes incurreret.

In hoc de rebus Bellicis Concilio Thomas Tyddemannus Eques Capitaneos ſuos omnes ſeriò monuit, tormentis ſuis nullo modo arces aut caſtella laceſſerent, quin quà poſſent cura in ſola navium Hollandicarum latera ictus dirigerent, ne forte oppidi pars illa, quæ à navibus retrò erat, in damni etiam partem veniret: quod utrumque, ex communi nautarum conſenſu, diligenter obſervatum eſt; prout in tractatu cum Generali habito, omnia ea in mandatis datum iri promiſſum erat.

Uſque dum inſtaret hora jam octava, non eſt à pugnâ ceſſatum, quâ durante, fatendum eſt Album inſigne ab Arce expoſitum, quo tamen fine, Anglis non erat facile conjicere; quippe nautas omnes, quorum ſtationes Caſtello propiores erant, in hoc pariter conſentire, Caſtellum quà hac, quà illàc, ab explodendis tormentis nihil deſtitiſſe; ſuſpicari ſe inde, exploſa illa tum cum explicaretur inſigne illud, contra quàm mandaverat Generalis, ab Hollandis, quos veriſimile erat illius fortificandi causà in Caſtellum admiſſos (id quod res erat) recepti enim ſunt illuc Hollandi ad minimum trecenti.

Maxi-

Maximum, quo laborabant Angli, à Caſtello iis damnum illatum eſt, à quo, fortuitis ictibus vincula aliqua, quorum nexu colligabatur prior linea, dirupta ſunt, adeo ut, metu, ne ſe naves ſibi invicem alliſæ frangerent, ſtationibus ſuis cedere coacti fuerint; cumque ultra tormentorum Hollandicorum ictum evaſiſſent longiùs, ab extremo Arcis angulo facta eſt recens à dextra tormentorum exploſio, (quibus tamen durante bello altum ſilentium Angli impoſuiſſent) adeoque retrocedentibus è claſſiariis non pauci interempti ſunt.

Quo tamen nonobſtante, Anchoras ſuas eodem Angli die intra rupes Norvegicas jecêre, ad quintam à Bergis leucam poſiti, naucleris utique deſtituti qui ſtationem propiorem oſtenderent, ſimul navium Anchoris retinendis ſufficeret.

Dum hiulcis navium reſarciendis lateribus & laxæ tabularum reaptandæ compagi ab Anglis hic loci inſudatum eſt, inter Gubernatorem Thomamque Tyddemannum Equitem varia officiorum aucupia & imaginariæ ſervitutis vocabula interceſſerunt: die autem Auguſti ſeptimâ, Dominus Tolnor, vir minimè illiberalis, qui, tractatui fiſus, nocte quæ pugnam præceſſerat, Majeſtatis ſuæ Britannicæ naves conſcenderat, jam iterum à Domino Alfeldt miſſus eſt, qui nuntiaret Dominationem ſuam à Rege Daniæ

niæ jam recens mandata accepiſſe; ſineret nimirùm Anglos in portu ſuo vim Batavis intentare; allatis inſuper literis ab Ablegato Majeſtatis ſuæ Britannicæ ex Aula Danica ad claſſis Anglicanæ Admirallum datis, quarum una eademque erat ſententia.

Miſit tunc temporis etiam Dominus Alfeldt ad Thomam Cliffordium Equitem literas, totas illas manu propria exaratas, quibus petiit, nocte ſequenti conveniendi & colloquendi ſecum poteſtatem ſibi ut velit facere; quò de modo ad ſecundum inſultum maximè commodo mutuis deliberationibus ſtatuerent; quibus in Literis hæc inſunt verba.

Mandata Domini mei jam nunc recepi & ſi ſic voluiſſet Deus ut ad manus noſtras citiùs perveniſſent, id actum eſt fuiſſet planè infectum; ex animo cupio, me ut honore illo digneris te ut videam coram; noctu tamen id facias oro & perſonatus, cum id utriuſque Regum quàm maximè interſit.

In colloquium hoc facilè conſenſum eſt; in quo Dominus Alfeldt articulos quoſdam, cum conditionibus, mutuo conſenſu obfirmandos in medium protulit; erant illi hujuſmodi. Velle ſe ex æquo prædam dividi, cui tamen centies mille libræ Sterlinæ monetæ priùs detraherentur, quarum pars altera, navibus illis Anglicanis, ſibi militibuſque ſuis altera obtingeret. Qui ex Batavis captivi fierent, navibus vacuis &

minùs bonis aſportarentur Hollandiam, ita ut eorum nemo Bergis maneret, quem diviſæ prædæ teſtem metuerent: Naves Anglicanæ quatuor in Portu Bergenſi morarentur ſex hebdomadas ad minimum, ſpecie quidem, rerum ſuarum gerendarum causâ; alteram nimirum prædæ partem, (illic relinquendam) ut præſtarent ſecuram, quaſi poſtmodùm in Angliam deportandam; cum tamen reverà ad Regem Daniæ ea prorsùs ſpectaret; quin etiam dictæ naves Anglicanæ quatuor, Daniæ Regis uſibus, per dictum ſex hebdomadum ſpatium, unicè inſervirent. Quas quidem propoſitiones, Thomæ Cliffordio Equiti Dominus Alfeldt manu propria conſcriptas tradidit.

Verùm Articulis his alii ſuperadditi ſic obſtabant, ut de ſecundo inſultu non eſſet cogitandum; prohibebant enim Anglos, ne, ſi quà ipſi Batavis ſuperiores futuri eſſent, rem inceptam proſequi poſſent; verbi gratia, ne ultra Boomam procederent; quo factum eſt, ut ſi Hollandos navibus ſuis exuiſſent, quà tamen ipſi in earum poſſeſſionem venirent, via omnis intercluſa ſit; ampliùs interdictum eſt illis, ne quos è militibus ſuis in terram exponerent, adeoque naves ipſorum obverſis eorum tergis conſcenderent: atque id totum ſub eo prætextu, oppidum nimirùm ut à flammarum earum, quibus id flagrante bello vide-

videretur obnoxium, metu liberarent: cùm tamen, non obſtante dura hac lege Anglis impoſita, navem incendiariam, flante commodùm vento, Anglis inferendam, Hollandis facta eſſet inſtruendi copia.

In hoc colloquio Dominum Alfeldt inter & Thomam Cliffordium Equitem, propoſuit Dominatio ſua, duæ aut tres naves Anglicanæ, præter eas quæ jam aderant, quo melior rebus obtenderetur color, de novo accerſerentur; utcumque conſuluit potiùs, quæ jam præſentes eſſent, omnes ad Sandvici Comitem remittendas, planè indicans, nec poteſtatem ſibi, nec vires deeſſe, ad detinendas in portu Hollandorum naves, etiamſi Claſſis Hollandica univerſa conaretur illas abducere. Quod etiam ſe aliquandiù facturum ſubinnuit; habere ſe aiens, (etiamſi Claſſis Anglicana, reficiendæ ſui cauſa, ad proprium littus ſe ſubduceret) materiæ ſatis, ſuper qua, Hollandos occupatos detineret, reddenda nimirùm ratione damnorum eorum, quæ in iis protegendis, tum Oppido, tum Caſtello illata ſunt.

Placuit inſuper Excellentiæ ſuæ, pro rebus Anglicanis ſingularem teſtari affectum; occaſiones omnes, quibus qualicumque officio promereri illos poſſet, ſe libenter amplexurum, ut quoquo modo, egregiorum tot Virorum manibus, qui illic ceciderant, parentaret.

Reverſus ad naves Anglicanas dictus Eques Cliſfordius, cùm Thomæ Tyddemanno Equiti, unà cum Capitaneis, quos ille in Conſilium ſibi vocaverat, explicuiſſet coràm, quòd, ex reſtrictionibus iſtis & propoſitis, rebus noſtris nimirùm adverſantibus, (utcumque flammarum ab oppido arcendarum prætextu) prohiberentur revera Majeſtatis ſuæ Britannicæ naves, ne adverſus Hollandos uti poſſent, aut conſertâ manu invadendi, aut ſi opus eſſet, illos à tergo adoriendi beneficio; quin & poſt hoſtes Mari pulſos, non niſi Arcium & Caſtellorum Arbitrio, in Anglorum poſſeſſionem pervenire poſſent: quæ etiam omnia ipſi Norvegiæ Præfecto priùs objecta ſunt.

Re omni ſeriò perpensâ, naves haſce ad Claſſem remittendas decrevêre; priùs tamen quàm vela facerent, Thomas Tyddemannus Eques, Literis ad Dominum Alfeldt peramicè miſſis, animum ſibi eſſe revertendi innuit.

Priore ſuâ conſiliorum inconſtantiâ & lucri forte cupiditate nimiâ huc illuc interìm impulſus Dominus Alfeldt, tantum aberat ut Domini ſui nomine, diſceptatione longâ de damnis oppido Arcique Belgarum gratiâ, illatis (quod in congreſſu noviſſimo ſe facturum ſpoponderat) tempus fallendo moras necteret, ut non niſi privatis præmiis ductus (forte an conſi-

consilii Hafniæ recens mutati authoritate nixus) iis vela dare permitteret, statim ac unici navigioli appulsu nuntiatum esset Classem Hollandicam, salvum iis conductum præstituram, ex portu Belgico solvisse; &, quod Majestatis suæ Britannicæ navibus negatum, Naucleri portuum illorum peritissimi, qui illos juvarent, concessi sunt.

Est hæc eorum omnium quæ Bergis acta sunt, accurata Narratio, quæ etiam cum eâ, quæ Daniæ Regi ab Officiariis suis super his tradita est, ad amussim convenit.

VERUM ENIM VERÒ tam non ingenuas Danorum artes una non absolvit periodus: cùm enim jam Majestas sua Britannica Classis suæ partem illam, contra pacti fidem, à Castellis Danicis ita malè habitam resciret, elusamque spem illam emolumenti mutui quod ad utramque Coronam ex conflictu illo perventurum augurabatur; cujus uniùs intuitu, quicquid prosperi allatura erat sequens æstas, classe sic divisâ, periclitandum censuerat; eo præsertim tempore, cum vim suam omnem in mare properè deducendam hostis undequaque contraheret; ablegandum aliquem duxit, qui cum Daniæ Rege, tum de re totâ, tum de reparandis damnis seriò ageret.

Quam Provinciam cùm nemo meliùs administra-

re posse videretur, quàm qui in Bergensi scenâ partes etiam suas egisset, electus est Thomas Cliffordius Eques tum recens à classe reversus, qui Ablegati extraordinarii munere apud Daniæ Regem functurus, tum quæ acta essent omnia verè explicaret, tum etiam, de ditione Hollandicarum navium, (in illius enim possessione permanere credebantur) Majestati suæ Britannicæ ut satisfieret, postularet; quod cum effectum dedisset, una cum Ablegato priùs ibidem residente, de Pace, Offensivâ pariter ac Defensivâ, tractare possit & concludere; quo peracto, eâdem authoritate munitus ad aulam Suecicam proficiscereretur, Coronam etiam illam in ejusdem fœderis societatem vocaturus.

Statim sub dicti Cliffordii Equitis ad Haffniam appulsu, Rex ille, auditis tum primùm ab eo quæ in mandatis haberet, ad ea quæ Bergis acta essent rubore subinde suffuso, tralatâque in Officiarios suos culpâ, de rebus inter Coronas illas ad Majestatis suæ mentem componendis mirè sollicitus visus est; conscius utique, causam esse cur Majestatis suæ Britannicæ animo altiùs insidere deberent moræ illæ, quibus usus est ipse, non obstante pacto, in mandatis suis ad Præfectos suos transmittendis: aiebat insuper, duriter prorsus secum actum iri, si diuturna illa arctaque inter Coronas has amicitia ob rem infœlicitèr adminis-

miniſtratam, (utcumque ſincero in Regem Angliæ affectu & ingenti pro rebus ipſius ſtudio à ſe propoſitum) violari modò contingeret. Addidit etiam non potuiſſe ſe tunc temporis alio beneficio propenſum in Majeſtatem ſuam Britannicam animum teſtari, quippè navali apparatu ad Bellum neceſſario deſtituto, reliquum ſibi fuiſſe, quo juvaret ipſam, aliud nihil, quàm ut Portuum ſuorum jus in ipſum transferret.

Et tamen Rex ille, eâ præteritorum excuſatione, & futurorum ſpe, pulchrè utcumque inſtitutis, malè ſe interim defendit adverſus illa quæ de morâ objecta ſunt, eâ ſcilicet quæ à decimâ ad vigeſimam quartam Menſis Julii facta eſt, (tantum enim erat intervallum inter approbationem Majeſtatis ſuæ Britannicæ à Rege illo receptam, & mandata ab ipſo Præfectis ſuis tranſmiſſa) non aliâ ſcilicet allatâ ratione, quàm de re methodicè diſponendâ convenire, eamque ſic in Ravium mittere, citiùs ſe non potuiſſe.

Novum Hollandicarum è Portu Bergenſi dimiſſionem ſubitam facilemque quod attinet, rem hactenùs ſibi ignotam narrari reſponſum eſt; rationem autem plenam accuratamque, quo res illa geſta fuerit modo, indies expectari; ipſo Rege Miniſtriſque ejus Primariis ſe novitate rei attonitos ſimulantibus; cupere ſe priorem culpam, compenſatione factâ, quantum fieri poterat, redemptam.

Ad

Ad hæc Hanibal à Seheſtedt, vigeſimâ Septembris, Regis illius nomine, Majeſtatis ſuæ Britannicæ Ablegatis, quæ olim de Hollandorum navibus in quovis Regis illius portu occupandis propoſita erant, iiſdem conditionibus proponit denuò: quippe Hollandorum naves Bellicas, ſeptem, & ex Mercatoriis ab Orientali Indiâ unam in freto Oreſundico, duas Tunisbergæ adhuc hærere, naveſque alias quàm plurimas divitiis onuſtas, partim tempeſtatis vi, partim Anglicanæ Claſſis metu, ſparſas per alios Norwegiæ portus deliteſcere. Et, ne res, uti priùs, malè poſſit ſuccedere, aut ſuſpicioni ullus ſupereſſet locus, ipſum dictorum Mandatorum archetypum, litteraſque ad ſingulos Norwegiæ reſpectivè Præfectos, Ablegatis ipſis in manus ſe daturum promiſit, quas, de ſtinatis eo fine nuntiis, ipſi mittendas curarent; inſtructa etiam parataque fore in profundo navigia, quibus nuntium hoc ad Claſſem Anglicanam perferri poſſit, tantò maturiùs exequendum.

Verùm ſub ipſo illo veſpere diei illius, illius Septembris ſcilicet vigeſimæ primæ, cùm Majeſtatis ſuæ Britannicæ Ablegati implenda illa exſpectarent promiſſa, ecce, pro dictis Mandatis, novi quiddam apportat Hanibal, Claſſem ſcilicet Anglicanam ad portus ſuos rediiſſe; eoque cognito, naves Hollandicas, quæ in profundo navigarant, ſublatis anchoris domum

mum contendiſſe; veriq́ue ſimile eſſe, cæteras Hollandorum naves ad Norwegiam nuper appulſas, eundem etiam curſum tenuiſſe.

Quæ omnia ab Amerone, Unitarum Belgii Provinciarum in Aulâ illâ Ablegato, ab Elſenoriâ jam tum veniente acceperat, qui præter res novas & alia ſecum attuliſſe creditur, quibus inducti ii, novam conſilii rationem iniêrant: adeoq́ue de illis Propoſitionibus, quantum in iis erat, actum jam eſt, quæ fœdus aliter Offenſivum ac Deffenſivum contra Ordines Generales Unitarum Belgii Provinciarum certo certiùs dediſſent.

Ex quibus omnibus videre eſt, quàm levibus huc illuc momentis agitata nutarent Regis illius Conſilia, quamq́ue iniquè Majeſtati ſuæ Britannicæ ab eo imputata fuerit eorum mutatio.

Ab eo uſque tempore ſenſerunt Majeſtatis ſuæ Britannicæ Ablegati, ab omnibus iſtius Aulæ Miniſtris frigidè adeò & tectis conſiliis ſecum rem geri, ut neceſſe haberent, quo expeditiùs quæ iis in mandatis erant exequi poſſent, expoſtulatorium hoc quod ſequitur Memoriale Regi offerre.

EXtraordinarii Angliæ Ablegati, quorum nomina hic ſubſcribuntur, in Memoriali ſuo diei decimæ ſextæ Menſis proximè elapſi, Majeſtati Veſtræ notum fecerant, quàm ægrè ferret Rex ipſorum Do-

minus tùm rractatus cum Majeſtate Veſtra in longum dilatos, tùm naves ſuas tam non amicè Bergis nuper exceptas, contra pactum à Majeſtate Veſtrâ (ſe ipsâ etiam authore & proponente) cum Rege ipſorum Domino initum & concluſum, quibus effectum eſt, ut Angli non tantùm repulſæ ſuſtinuerint dedecus, viris etiam egregiis non paucis interfectis, ſed & Orbi Chriſtiano occaſio data ſit, utcumque ſine causâ, Regem Dominum ſuum, fœderati & Amici adeò portûs violati, cenſendi reum; dicendique, de amicitiâ ejus nemini ſatis cautum eſſe poſſe, ſi quando aut aliàs rem geri ipſius interfuerit, aut aliunde ſpes affulſerit nummi: ex quibus omnibus honori ſuo Regem ipſorum Dominum vulnus graviter inflictum perſentire, cui medendo Majeſtatis Veſtræ Commiſſariis varia eſſe à ſe propoſita (eaque, quæ nec honori Majeſtatis Veſtræ quicquam detraherent, nec omninò ejuſmodi, qualia non fieri publicè intereſſet) adhuc tamen ulteriores necti moras, & inſtantias ſuas (abſque quod iis ulla ex parte ſatisfactum ſit) frivolis dilationibus eludi; quare imperari ſibi à Rege Domino ſuo, ut apud Majeſtatem Veſtram ſuo ipſius nomine profiteantur, diſplicere illi in univerſum rationem illam quam Majeſtas veſtra in rebus cum eo tranſigendis ſecuta eſt; ſimul, Majeſtati Veſtræ ut indicent, modis ſe quibus poterit maximè licitis, ſuum ſibi jus vindicare decreviſſe: eumque in finem, eorum alteri in mandatis da-

datum, ut Danis quam primùm valere juſſis, ad Curiam Suecicam iter acceleret, Regem illum ritè edocturus, quibus argumentis mota Majeſtas ſua Britannica ad inceptum illud Bergenſe adducta ſit; atque hinc eſſe, quòd neceſſe ſibi ſit, decretorium reſponſum à Majeſtate Veſtra contendere; quo illos ut dignari velit Majeſtas Veſtra, humiliter rogant, ut exindè, quæ à Domino ſuo ampliùs in mandatis habeant, liberum ipſis ſit ulteriùs proſequi.

Haffniæ Octobris
die 2. 1665. TALBOT, CLIFFORD.

MEMORIALE hoc novi tractatus deſiderium in iis excitavit: ipſe Rex & Commiſſarii ejus, nimirùm Comes Hanibal à Seheſtedt Dominus ſummus Theſaurarius ac Miniſter Primarius, & Dominus Gabell, tum ei tum cæteris omnibus poteſtate ac fide par, viſi mirum in modum cupidi rem totam quàm citiſſimè abſolvendi, de conventu ſtatuêre quotidiano, quod & pariter factum eſt, adeoque rebus maturè diſceptatis ac perpenſis, dicti Commiſſarii unà cum dictis Ablegatis Majeſtatis Britannicæ ſuæ Octobris decima octava, ſignis Sigiliſque appoſitis, fœdus Offenſivum ac Defenſivum obfirmarunt cum Anglia contra Belgas mari terraque proſequendum; Commiſſione plenaria dictis Commiſſariis ad id conceſſa, & Regis illius manu ac ſigillo munita; in qua,

verbo Regis & Chriſtiani, ſe id omne quod ab iis concordatum eſſet, ratum habiturum ſpondet.

Cujus Fœderis conceptum in Sueciam poſtea tranſmiſſum eſt; in quo, operæ prætium eſt obſervare, quòd, Miniſtris Danicis ſuper omnia in id inſtantibus, facti Bergenſis perpetua ut foret oblivio, nec ut eo nomine quicquam de futuro prætendi poſſet aut poſtulari, in id juxta conſenſum eſt, quod etiam è præcipuis dicti Fœderis articulis expreſsè unus erat; Majeſtatis ſuæ Britannicæ Miniſtris (non obſtante offenſa ea gravi, de qua in præcedente Memoriali conqueſti erant) æquum cenſentibus, hujus ut injuriæ memoria rei Chriſtianæ bono abolenda voveretur, ad uniendas tres haſce Proteſtantium Coronas: quòdque, eodem tempore, ut infra manifeſtum fit, dictus Daniæ Rex tractatum init cum Hollandiâ contra Angliam; cujus pro fundamento, in proœmio, id ipſum poſuit, vim ſcilicet illam Portui ſuo Bergenſi illatam, ut, qui oblitus prorſus erat Anglos ab ipſo ad hoc invitatos fuiſſe, aut quem pudebat id mundo coràm profiteri.

Atque quo fœdus hoc ad utriuſque Coronæ uſum accommodetur magis, proviſum eſt pariter non tantùm de Sueco admittendo, quo fiat triplex unio; verùm articulus eidem inſerebatur, quo totum irritum & inefficax denunciatur, niſi Rex Regnumque Sueciæ id palàm amplecti, ejuſque pars eſſe velint.

Quod,

Quod, cùm ex hâc parte teſtatur, quanto honori duxerit, quantiſque ejuſmodi cum Coronâ Suecicâ unionem Majeſtas ſua Britannica æſtimaverit; tum ex altera, Regem Daniæ neglectæ & planè contemptæ illius Coronæ arguit; quippe qui fœdus offenſivum cum Hollandis contra Angliam inierit, non exſpectato quid eâ de re ſtatueret Suecia.

Fœdus hoc non citiùs Haffniæ perfectum eſt, quàm intra diem unam aut alreram Thomas Cliffordius Eques, poteſtate ad id acceptâ, Stockholmiam verſus iter ſuſcepit, ubi, ſpoponderant ei Miniſtri Danici, Reſidens ipſorum, cum illo, eo de fœdere conferret, ac poteſtatem plenariam illuc tranſmiſſam haberet, qua ſe ad id conficiendum ea in Curia poſſit adjungere.

Brevi poſt tempore quàm perveniſſet Stockholmiam dictus Ablegatus, & nuntii ſui rationem Regi coràm expoſuiſſet, ab Angliâ ad dictum Ablegatum pro certo perfertur, Klunenbergum (qui Septembris die 24.) quo tempore dicti Ablegati cum Danis tractatum facientes in medio opere verſarentur) ab Haffnia clàm Hagam-Comitis ſubmiſſus fuerat) in tractatu Offenſivo contra Anglos magnos feciſſe progreſſus.

Quo ipſo tempore Jewel Danicus in Suecia Reſidens, ad Magnum Sueciæ Cancellarium alioſque ibidem Miniſtros accedens, inſtabat vehementer, fœdus Offenſivum cum Anglia contra Hollandiam vellent quam primùm inire; ſubductaque

probè temporis ratione, conſtabat poſtea, ipſo illo, numerico die Clunenbergum Ablegato Suecico Hagæ agenti notum feciſſe, fœdus ipſorum alterum Offenſivum contra Angliam Hollandiæ jam tum fuiſſe ſignatum, qui etiam multis, cum eo argumentis contendit, perſuadere velit Dominum ſuum Sueciæ Regem, in dicti fœderis Offenſivi partem venire.

Hic rerum à Danis geſtarum modus cum Anglis innoteſceret, cumque tam fidei omni ac honori contrarius, tamque fraudulentns videretur, Majeſtas ſua Britannica Thomam Cliffordium Equitem ad ſe quantociùs accerſendum cenſuit, qui præſens ipſe verum rerum omnium ſtatum ſibi exponeret; cum pro certo eſſet, ex ejus abſentia minimè futurum, ut eorum, quæ cum Dania concordata ſunt (conſtarent modo priori fœderi cum Anglia ſignato) quicquam perturbari poſſit: Quandoquidem in Curia Suecica reſtaret adhuc Dominus Coventry Majeſtatis ſuæ Britannitæ prior illic Ablegatus extraordinarius, quoad res omnes ſatis inſtructus, cui etiam poteſtas plenaria demandata erat ad tractandam & concludendam cum Corona illa Ligam illam triplicem tàm Offenſivam quàm Deffenſivam, contra Ordines Generales unitarum Belgii Provinciarum.

Licet adhuc ulteriùs obſervare ſupradictum hoc fœdus Offenſivum ac Defenſivum contra Hollandiam ſignis ſigilliſque Haffniæ, (ubi dicti Regis Aula) fir-

firmatum fuiſſe; adeo ut, quantum ad id, quod Hollandiæ actum eſt poſtea, excuſationi nullus ſuperſit locus, ſub prætextu ſcilicet, Miniſtros Domini ſui mandata properàm intellexiſſe. Super his ſtatim, Majeſtatis ſuæ Magnæ Britanniæ Ablegatis dictum eſt, Comitem Hanibalem à Scheſtedt Legati Extraordinarii nomine, ad Hollandiam, ut jactabatur, revera autem ad Angliam, profecturum eſſe, quo meliùs ſuſpenſos teneret Hollandos, tempuſque protraheret, uſque dum apparatus navalis in promptu foret, ad fretum Oreſundicum contra inſultus omnes tuendum, quos quidem ab Hollandis maturiùs intentatos iri veriſimile erat, ſi modo triplicem ejuſmodi unionem ſuſpectam ullatenùs haberent; Profitente apud eos ulteriùs dicto Comite, ſe in ea eſſe ſententia, intereſſe Daniæ ab Anglorum partibus ſtare, etiamſi Suecus ſe non adjungeret: Addiditque inſuper, velle ſe nervos omnes in hoc pariter intendere.

Atque in ſcena hac eouſque proceſſum eſt, ut ex Majeſtatis ſuæ Britannicæ navibus, ſcriptis Litteris, una expoſceretur, ab Anglia Oſtendam deducenda, quæ dictum Comitem inde ad Nos adveheret; cum tamen ille contra ab Hollandia Galliam recta contenderet; ſub quo tempore editus eſt in publicum Danorum cum Hollandia tractatus, En autem quod ab iis conſequenter ad id, abſque forma omni erga Anglos prævia, re non priùs iis ſignificata, actum ſit; navibus omnibus,

nibus mercibuſque Anglicanis, quæ intra Regis illius ditionem eſſent, injectæ manus, idque more tam Barbaro, quali vix alius unquam aut Rex aut Status uſus perhibetur: Negotiatores enim Angli, tum per Norvegiam, tum per cæteras Dominiorum ejus partes ad unum omnes in carcerem conjecti ſunt, & in quoſcumque caderet ſuſpicio, cum Majeſtatis ſuæ Britannicæ ſubditis rem eos & commercium habuiſſe, poſtquàm in bona eorum præjudicio damnata invaſerant, ipſos demùm juramento adegerunt, bona illa ad Anglos pertinerent necne, faterentur.

Eſt hæc rerum omnium Majeſtatem ſuam Britannicam inter & Daniæ Regem tranſactarum verè deducta Narratio; ex qua, videre eſt, quàm malè Rex le, Majeſtatis ſuæ Britannicæ erga ipſum benevolentia (in qua etiam partium ſtudium notabant inſpectores) reſponderit; quod etiam documento eſſe poteſt, quomodo cum eo agendum ſit: Majeſtas ſua Britannica utique, tum ad honorem ſuum vindicandum, tum malorum eorum quæ ſubditis ſuis illata fuerint ſenſu, permota, dicto Regi tanquam infenſiſſimo hoſti bellum una indicendum cenſuit, nihil dubitans, quin Omnipotens Deus, cauſæ ſuæ juſtitiam aſſerturus ſit, daturuſque occaſiones, quibus injurias ſibi ſubditiſque ſuis illatas ulciſci poſſit, videatque mundus quàm ſincerus juſtusque per omnia M^tis. ſuæ Britannicæ animus fuerit, quamq; non evitanda neceſſitas ipſam ad illud impulerit.

FINIS

MVSEVM